

III.

NEOVIDENSIS

Nro 38. (*Neovidensis* Nro 61.)

Ex Beatis Elysi soli Regnis
COLLOQUIUM POLITICUM
inter terrigenas distribuendum.

Elysium -- Meum. -- Die Veneris 10 Aug. 1804. (Neov. 27 Julii.)

— — — Non omnia grandior ætas
Nos quæ scimus habet, seris venit usus ab annis.
Ovid.

Dialogus

Inter Comitem Josephum Fugger, et Sebastianum Mutschelle.

Mutschellius.

Somnio, an vigilo, videre mihi videor umbram Bavarici belliducis.

Fuggerius. Et quod tibi nomen exanguis, sed ad omnem humanitatem exulta anima?

Mutschell. Vocor agnomine Mutschelle. Singulis diebus adeo tugurium Charontis, tanto ardeo desiderio conveniendi cum quopiam meorum popularium.

Fugger. Quas, quæso, incolunt plagas Bavarici Manes? Nullamne tibi facesset molestiam, si Generalem Fugger ad eos deduxeris?

Mutschell. Viden' illam priscae germanicæ

honestatis planitiem, quæ abhinc aliquot millionibus milliarium distat? Ibi constiterunt. Mihi erit res longe gratissima; te illuc usque comitari. Totum iter possumus quadrante horæ emetiri. Verum indulgebis, ut inter eundem ponam nonnullas de statu meæ patriæ quæstiones. (*profiscuntur*)

Fugger. Tali colloquio nullum aliud posset fingi svavius. Sine dubio ex quo patriam reliquisti, magna est rerum facta commutatio. Apud nos modo ita decurrunt negotia, quemadmodum ubique. Novæ res, nova systemata sunt introducta. In qualibet ferme Provincia nova viget reipublicæ forma. Hinc alii minus contenti sunt, alii lætantur. Quicumque provinciam obtinent cum imperio, coguntur, si hoc dictu fas est, novas plebi ingenerare opiniones; hujusmodi autem educatio requirit tempus.

Muschell. Quantum cogitatione licet assequi, videtur mihi Baviaræ status nunc multo felicior, quam fuerit olim.

Fugger. Omnino in consideratione politica, & geographica Baviaræ multa commoda accesserunt. Tu bene nosti, quantopere fuerint ejus possessiones dispersæ. Nullus Germaniæ Princeps habuit magis disjunctas suas provincias. Bavaria fuit finitima fere omnibus potentioribus in Europa Gentibus, si Russiam exceperis, & Turciam. Nostri distracti territorii limites attingebat Hollandia, Gallia, Austria, Borussia, & Belgium. Itaque non est tibi laboriosum cognoscere, quantæ molis fuerit in hac provinciarum positione politica tra-

stare negotia. Si una aut altera harum gentium incidit in controversiam, & bellum, ubique aliqua ditio Palatinatus Bavarici vel interjacebat, vel erat vicina.

Mutschell. Profecto anceps, & multis difficultatibus obnoxius situs!

Fugger. Atque hæc erat ratio, quod Electorali Domui Bavaricæ cum omnibus Gentibus colenda fuerit amicitia; æternam neutralitatem exigebat provinciarum collocatio.

Mutschell. Verum nunc longe alia est rerum facies!

Fugger. A quo tempore compensationes, ac sæcularisationes invecæ sunt, Bavaria magis coaluit in unum corpus, estque a multis, sæpe molestis vicinis, liberata. Nunc efficit statum, cujus vires conjunctæ sunt, & qui ob frequentiam populi, productorumque quæstum cum nonnullis regnis potest venire in contentionem. Una tantum Borussica provincia ei est confinis, & aliquot Germanici Principes, ab Austria tamen magnam partem circumdatur. Bergensis ditio ad Rhenum inferiorem sita ob suam distantiam instar colonicæ consideranda est. Itaque exorto bello gaudet jure ferendi suffragii, & certe ejus amicitiam potentiores etiam gentes sollicite exposcunt. Præterea nunc in id etiã enititur, ut militarem suam potentiam augeat, & politicam amplifcet auctoritatem. Palatinalis Bavarica domus nemini Principum Germanicæ cedit viribus, exceptis Bohemico, & Brandeburgico. Potentia non nisi in non interrupta possessionum conjunctione consistit.

Mutschell. Quam fortunata rerum conversio! pœne dixerim, dignum fore, ut compensationes non tantum privatim, & publice, sed omnium gentium litteris celebrentur.

Fugger. Bavaria quidem hætenus erat tantum quasi pastoralis civitas, licet felicissima omnium. At tolerantia, & benigna promotio industriæ multum conferet ad ejus incrementum. Complures urbes imperiales, quibus aucta est, jam diversas industriæ vias iniverunt, prout etiam olim huic suam existentiam debebant. Facile ergo erit a magnanimo, & potente imperio adjutis diligentia suæ fructus ampliare, eosdemque suis municipalibus in ipso regno dividere.

Mutschell. Sed suntne jam vulnera in bello accepta percurata?

Fugger. Sine dubio ad ea sananda multis adhuc opus est remediis; verum non erant illa soli Baviariæ inflicta; alii etiam tam magni, quam parvi status eadem senserunt, imo universa Europa videtur eodem morbo laboravisse. Sensim tamen feliciora redibunt tempora, quotidie novæ accedunt vires, quas perturbatio adeo horribilis labefactaverat.

Mutschell. Quos autem facit progressus cultura ingenii?

Fugger. Non nosco regnum, in quo plus operæ impenderetur bonis artibus tradendis, atque apud nos. Prælectiones publicæ magni sunt, Academiæ scientiarum abundant præclarissimis Doctoribus, omnes species disciplinarum, & artium docentur. Fere vereor, ne in hoc genere solito citius festinetur. Nam

que non possunt opiniones in variis regionibus conceptæ uno ictu præcidi, neque illico reduci ad eadem principia. Ejusmodi mutatio requirit longum tempus. Ars artium est probe dirigere educationem.

Mutschell. Huic rei jam a Carolo Theodoro jacta fuere firma fundamenta.

Fugger. Ita, verum tamen negotium lentis properabat passibus. At modo mutata politica Status Baviariæ geographia spes est, ut omnia & melius, & citius succedant. Huic expectationi favet etiam illud, quod Bavaria non ita facile sit bello involvenda. Ingens illa potentia, qua in continente præcellit Gallia, imperat omnibus aliis majoribus Gentibus quietem, & pacem. Et quidem hic status videtur fore diuturnus, de bello autem inter Prussiam, & Austriam orituro in tali rerum situ nec cogitari potest.

Mutschell Singularem in me excitavit attentionem lectio novorum Gallicorum, quæ propugnabant, præponderantem Galliæ magnitudinem esse Europæ veri nominis beneficium, secus enim Russia omnibus nervis contendere, ut suum dominatum in Germaniam, & certum calidius clima extendat, atque regnum aliud post aliud suæ subjiciat potestati. Aliquid veri latet in re, consideremus enim Europam totam, quanta est, & partes prætereamus.

Fugger. Politia Baviariæ nunc tantum opponitur Austriæ, utpote Provinciæ sibi vicinissimæ. Ceterum Austria majorem meretur propensionem a suis accolis, quam Borussia

a Polonis, & forte etiam a Hannoveranis, Monasteriensibus, Paderbornensibus &c.

Mutschell. Hic jam attigimus metam. Vide sis ibi optimum Carolum Theodorum, & Maximilianum Josephum, o præstantes Dominos! Vale. Plura, si iterum convenerimus.

B i o g r a p h i a.

Josephus Fugger, Comes Imperii Germanici, Comes de Kirchberg, & Vissenhorn, Dominus Comitatum & Dominiorum Mickhausen, Schwindegg & Kirchtambach &c. Cæsareo-Regius Camerarius, Bavaricus Promarschallus campi generalis, Proprietarius primi regiminis levis armaturæ militum, primus senior familiæ Principum, & Comitum Fugger, Administrator communium familiæ fundationum, & Præses Hansicarum S. R. Imperii linearum, vivere desuit 16 Julii, vespere anno hoc currente. Natus erat 18 Sept. a. 1731. adiit bonorum dominium 17 Dec. 1779. Senioratum vero a. 1793.

Mutshelle (Sebastianus) insignis Theologus catholicus Monachii, a. 1749. 18 Jan. in Præfectura Landsbergensi natus patre molitore. Jam in juvene apparuit egregia ad studendum indoles, apud Jesuitas Monachii frequentavit scholas latinas; a. 1765. absoluta Rhetorica ingressus est societatem Jesu, cujus tyrocinium subivit Landsbergæ. Dissoluto ordine, in quo quædam ejus opiniones acrius exagitabantur, Ingolstadii terminavit studia a.

1776. Post hæc egit privatum informatorem Monachii, demum factus est adjutor curionis sacri in Mattigkofen. A. 1799. adlectus est collegio Canonicorum Frisingensium, & renunciatus Consiliarius ejusdem Consistorii. Ob-
 tigit eidem etiam Præfectura Scholarum, qua occasione accommodos introduxit libros scho-
 lasticos, imo invenit fundum, ex quo Profes-
 sores solverentur, pauperibus prolibus libri,
 & necessaria ad scribendum suppeditarentur;
 atque proles gratis instruerentur. Vexationes,
 quas in hoc munere expertus est, eum indu-
 xerunt, ut statione consiliarii se abdicaret, a-
 nimumque elucubrandis operibus adjiceret.
 Scripsit eodem tempore Historiam Jesu ex qua-
 tuor Evangelistis concinnatam. Cognitio ejus
 & amor erga Creatorem ex consideratione re-
 rum creatarum accedit ad opus Sanderi. Neo
 electus Episcopus Max. Procopius illico eum
 pristinae suæ dignitati, Consiliarii & Schola-
 rum Præfecti restituit. In hac statione edidit
 observationes in Evangelia, diebus domini le-
 gi solita: Opus inscribitur; De morali bono,
 & Colloquium Patris cum suis prolibus. Præ-
 terea in usum Scholarum Catholicarum publi-
 ci juris fecit prima sanctioris doctrinae rudi-
 menta, in eoque potissimum elaboravit, ut
 ostenderet, qua ratione possit juvenus ipsa
 cogitare. Denique cum consvetis scholis con-
 junxit etiam institutum condiscendis variis la-
 borum speciebus destinatum. Cum vero ma-
 gnam partem piarum foundationum Freisingen-
 sium in bonum scholarum converterit, per

id ita commovit quosdam strenuos curatores, ut tædio altercationum iterum missum fecerit suum munus, susceperitque administrandam Paræciam Raunkirchensem Monachio unius horæ intervallo remotam. Hic optimo successu operam dedit Philosophiæ criticæ, unaque composuit commentarium Evangeliorum, quæ festis diebus pro concione dicuntur, item Dissertationes Philosophicas, et supplementa ad Metaphysicam &c. Vivente hodierno Imperante evocatus est ad Lyceum Monachiense, ut munere Directoris Studiorum fungeretur, ut conservando in Seminario ordini invigilaret, ut Theologiam moralem, pastoraalem, & eloquentiam sacram traderet; invitationi ad Professoratum obsecutus est, hoc enim officium cum cura suæ communitatis judicavit posse quam optime componi. Ferventibus belli gallici motibus efficacissime adstitit suæ Ecclesiæ hominibus; verum hoc, & ingravescentia mala, quæ ab hostibus veritatis imminebant, adeo ejus vires attriverunt, ut 28 Novemb. a. 1800. morte decesserit. Tempore ejus sepulturæ tantus fuit omnium inhabitatorum luctus, & comploratio, ut ipsi gallici milites, qui tunc ibi stativa habebant, commiseratione ducti exclamarint: Profecto hunc vita functum oportebat magnum, & præclarum fuisse virum, quem vos omnes tantopere defletis!

Problema.

Quidam Lotteriæ lusor interrogavit Mathematicum, quinam 5 numeri sint extracti e Lotteria; cui Mathematicus respondit: si secundum numerum elevaveris ad cubum, addideris 100, habebis ex radice quadrata hujus summæ duplex quadratum quinti numeri minus 604. Tertius numerus se habet ad secundum, sicut 2. ad 3. Si dein subtraxeris 15 a quarto numero, habebis summam primi, & quinti. Si porro multiplicaveris primum numerum cum quarto, & huic addideris 17. hancque summam multiplicaveris per 3, prodibit factum secundi, & tertii numeri, denique sexies est æqualis numero secundo quadrata radix de tertio numero.

Quæritur qua methodo potuerit Lotteriæ lusor suum finem obtinere.

*Benedictus Losy de Loseuan
Geometra Striensis.*